

CAPVT XVI.

DE SPIRITVALI PERFECTI-
*one sensuum exteriorum in sta-
 tu beato.*

Spirituales ἀξιαί de quibus haecenus diximus, venerunt
 in considerationem respectu motus. Quid igitur accessu-
 rum sit corporibus nostris respectu sensuum exteriorum, id
 nunc quoque subnectendum est.

Et primò de visu, quem in actu futurum esse, ipsæ docent
 sacrae literæ. Hæc enim consolatione se Iob erigit, cum inquit
 In carne mea videbo Dominum. Ergo gloriatur de restituen-
 dis sibi oculis, & non tantum restituendis, sed tanta virtute
 illustrandis, vt Dominum videre possint *Iob 19. v. 26.* Et *Iohan-*
nes etiam in hac parte similitudinem cum filio Dei ponit, q̄
 visuri simus eum, sicuti est *cap. 3. v. 2.* Et præmii loco promit-
 tit id Christus suis discipulis, quod visuri sint claritatem ipsius
Ioh. 17. v. 24. Item *Matth. 5. v. 8. Beati mundi corde, quoniam ipsi*
Deum videbunt.

Atque in eo ipso consistit quoque hæud minima pars præ-
 eminentiæ vitæ æternæ ad hanc vitam. Quod in hac quidem
 vita, Deum videre non possimus & viuere, illic autem visuri
 simus, & in ipsa hæc visione vitam habituri in æternum. Et
 sicuti nunc in ænigmate tantum videmus, ita contemplabi-
 mur tunc à facie ad faciem, *1. Cor. 13. v. 12.* Hic versamur in fi-